



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. XIV. de dolo & co[n]tumacia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

ad restitutionem tenentur. *Abb. in d. cap. sapè.*

Ubi observa adhuc ex *Vallens. §. 5. h. 1. in fin.* Ut quis possit legitimè privari beneficio, tria concurrere debere. primò sufficiens & gravis causa. Secundò, ut causa ista sit manifesta. Tertiò, ut privatio fiat servato juris ordine, *Vallens. d. §. 5.*

## TIT. XIV.

## De dolo &amp; contumacia.

**A**D num. 5. ad verba: rei iudicata repellat: adde: Et sic est casus, ubi etiam sine litis contestatione sententia ferri potest, si enim actor ante litem contestatam absit, & reus probeat innocentiam suam, potest etiam à re petita absolvi. *d. cap. 3.*

*Ad num. 5. in fin. adde:* Et sic iterum est casus, ubi victor potest condemnari in expensas, si enim pro eo, qui per contumaciam absens est, feratur sententia, ipse quidem victor est, nihilominus autem in expensis venit condemnandus.

*Ad finem tituli adde:* Aliàs variè solet coerceri contumacia, aliquando enim contumax condemnatur in expensas. *cap. cum dilecti h. t.* Aliquando rapitur in vitus ad iudicium. *L. consentaneum C. quomodo & quando iudex.* Aliquando ipsi indicitur mulcta. *L. 1. ff. si quis in ius vocatus,* interdum sequestratione, vel etiam excommunicatione punitur. *Vallens. h. t. n. 3.* Ubi circa finem tradit, quòd, quoties contra aliquem potest fieri realis, aut personalis executio, non deveniatur hodie ad

poenam excommunicationis. *Trid. Sess. 24. c. 3. de reformat. vide Vallens. d. loc.*

## TIT. XV.

## De eo qui mittitur in possess.

**A**D num. 1. in fin. adde: Est autem primum decretum, decretum Iudicis, quo ob contumaciam rei actor in possessionem bonorum custodiae causà mittitur, ut ea pignoris vice detineat, donec reus veniat responsurus. Ita *Wesenbec. ad tit. ff. de damn. infect. Causa efficiens,* est Iudex habens saltem mixtum imperium ad petitionem Actoris ob contumaciam rei. *Materia circa quam,* sunt omnes actiones personales, vel reales. *Materia in qua,* sunt bona contumacis observato ordine prescripto. *In l. à divo Pto ff. de re iudic.* Quamvis in iura propria missio non fiat, sed vocatis debitoribus fit inhibitiōnis, ne creditori solvant. *Forma est,* quòd Actor offerat libellum, quo oblato reus à Iudice citatur, qui autem contumaciter recusat venire, actor contumaciam Rei allegat, quā allegatā, & eum de ea constat, Prator actorem in possessionem mittit, in rebus quidem citra ullam causæ cognitionem, in personalibus autem cum prævia summaria cognitione, & insuper olim in omnia bona. *Gl. in l. 9. Cod. de reb. auct. iudic. possid.* Hodie autem servato ordine pro quantitate debiti. *Auth. & qui iurat. Cod. d. reb. auct. iud.* absurdum enim foret quemquam in plus mitti, aut plus ei adjudicari, quàm petat, *Finis est,* ut actor rem servet, &